

Inquens per sententiam ad relegationem sit condemnatus, & pœna sit executioni data, ipseque pro tali in posterum sit habendus, qui reapse sit relegatus, ita, ut si revertatur, pœnam in perjuros statutam subire debet. Vide Carpzov. part. 3. quæst. 130. num. 38. 41. & seqq. pag. 254. 255. Prædictæ Criminal.

Illud adhuc addendum est, quod, licet duplex sit Urpheda, una de non vindicando carcere, & omni eo malo, quod in carcere sustinuit: Altera de non revertendo ad locum relegationis, utraque tamen in formula illa juramenti à relegando præstanta conjungi solet, ita, ut utrumq; is jurare teneatur, quod scilicet nec incarcerationem vel torturam, vel simile quid vel erga judicem, vel erga ejus ministros vindicare, nec ad locum, è quo jussus est ire in exilium, vel perpetuò, vel intra certum tempus reverti velit.

Quibus ita præmissis, textum ipsum oportet resolvere, in quo Imperator tres casus distingvit. I. Si quis in maleficio, ob quod secundum leges, & cum primis hæc criminales Constitutiones capitali pœna poterat affici, cautionem juratam seu Urphedam de non vindicanda carceris injuria violaverit, & non prius absolutionem ab isto Juramento impetraverit, is pœnam quoque capitalem isti delicto convenientem subire debet. Quamvis Menochius, qui l. 2. Cent. 5. casu 335. num. 3. fol. 612. de Arbitr. Jud. Quæst. Judicis arbitrio relinquat modum puniendi ejusmodi delinquentem. Sed lege certam pœnam dictante, cessat arbitrium Judicis, nisi quod in considerandis circumstantiis delicti, & pro ratione illarum vel mitiganda, vel exasperanda pœna tantum sese exserat.

II. Qui in maleficio, ob quod ultimum supplicium pati non debebat, urphedam ante relaxationem carceris præstitam sciens & volens violavit temerè, is tanquam perjurus amputatione manus aut digitorum, quos jurans in altum sustulit, vel alia quadam consimili pœna afficiendus est. Et hoc relinquitur arbitrio judicis. Nam si perjurus fortean digitos istos jam tum ob perjurium amiserit, tum illi non possunt amputari; alia itaque & consimilis pœna ob tale delictum irroganda venit delinquenti. Non sine causa dictum est! Temerè, dum scilicet viâ facti & ita propria autoritate se vult vindicare: nam per viam Juris tamen contra Judicem, qui iniquam istam incarcerationem decrevit & executus est; tum etiam contra delatorem, ad cuius accusationem seu denunciationem incarceratione facta est, se ulcisci prohibitum non est. Quò tendit Hiero-